

## LIBER QUINTUS

*Liber Codicis quintus in quattuor titulis de Ecclesiae rebus mere temporalibus loquitur, quae repraesentant bona fortunae ad cultum divinum peragendum, sacros ministros sustentandos, apostolatam et caritatem exercenda.*

### *De bonis Ecclesiae temporalibus (1254-1258)*

Utpote societas perfecta et suprema, Ecclesia jus habet – independens ab omni extranea potestate – ad media quibus finem suum plene et convenienter assignatur. Inter media autem ista reponi profecto debet possessio bonorum tam mobilium quam immobilium.

Ergo de nativo et suo jure Ecclesia acquirere, retinere, administrare et alienare potest bona temporalia, quae praecipue seponuntur in cultus divini ordinationem, in honestam sacrorum ministrorum sustentationem, in operam sacri apostolatus et caritatis exercendam.

Subiecta capacia bona acquirendi, retinendi, administrandi et alienandi ad normam juris sunt: Ecclesia universa, Apostolica Sedes, Ecclesiae particulares, personae iuridicae sive publicae sive privatae.

Bona, quae pertinent ad Ecclesiam et Sedem Apostolicam necnon ad iuridicas personas publicas, dicuntur ecclesiastica et canonibus Codicis reguntur.

Bona, quae ad personas iuridicas privatas pertinent, ecclesiastica non sunt et statutis quarum eadem bona sunt reguntur, nisi expresse aliud caveatur.

Nomen Ecclesiae significat Ecclesiam universalem aut Sedem Apostolicam ac etiam personam iuridicam publicam in Ecclesia.

Persona iuridica dominium bonorum tenet sub suprema Romani Pontificis auctoritate.

## *De acquisitione bonorum (1259-1272)*

Ecclesia habet habilitatem acquirendi bona temporalia omnibus iustis modis sive naturalis sive positivi juris.

Modi acquirendi sunt juris publici (v.g. tributa, taxae) et privati (v.g. occupatio, accessio, labor, contractus, successio hereditaria, praescriptio).

Ecclesia, societas perfecta, praeterea a suis subditis exigere potest quae media sint necessaria ad fines suos perseguendos. Enim christi-fideles ex canone 222 obligatione tenentur Ecclesiae subveniendi et Episcopi dioecesani eos monere tenentur ad hoc.

Ad necessitates Ecclesiae sublevandas sunt tributa, quae in sensu stricto repraesentant praestations a personis physicis vel iuridicis ecclesiasticis ordinarie vel extraordinarie ex lege ecclesiastica datas; taxae, quae sunt emolumenta a fidelibus solvenda occasione sacri ministerii in favorem praestiti vel actuum potestatis exsecutivae; oblationes, quae largitiones sunt sponte datae.

Auditis Consilio a rebus oeconomicis et Consilio presbyterali, Episcopo dioecesano jus est imponendi personis iuridicis publicis, suo regimini subiectis, moderatum tributum, proportionatum earum redditibus, pro necessitatibus suae dioecesis; ceteris personis physicis et iuridicis ipsi licet imponere, tantum in casu gravis necessitatis, extraordinariam et moderatam taxam.

Jure non disponente, Conventui episcoporum provinciae competit praefinire taxas pro actibus potestatis exsecutivae vel pro executione Sedis Apostolicae rescriptorum, definire oblationes ministracionis Sacramentorum et sacramentalium.

Salvo jure religiosorum mendicantium, vetatur ex canone 1265 persona quaevis privata, sive physica sive iuridica, stipem cogere pro quolibet fine vel pio aut ecclesiastico Instituto, sine licentia Ordinarii proprii et Ordinarii loci in scriptis data.

Conferentia episcoporum statuere potest de stipe quaeritanda normas, quae ab omnibus servari debent.

In omnibus ecclesiis et oratoriis Ordinarius loci praecipere potest ad colligendum stipem pro determinatis inceptis paroecialibus, dioe-

cesanis, nationalibus.

Oblationes ad certum finem factae a fidelibus non nisi ad eundem finem destinari possunt. Quae fiunt administratoribus cuiusve personae iuridicae ecclesiasticae, sive publicae sive privatae, praesumuntur ipsi personae iuridicae datae.

Alius modus bona acquirendi, jure probatus, est praescriptio, quo quis per possessionem continuatam aliquod jus acquirit aut se liberat ab aliquo onere.

Praescriptio nominatur positiva seu acquisitiva (usucapio) et privata seu extinctiva.

Res sacrae, quae in dominio privatorum sunt, praescribi possunt a privatis, qui tamen eas adhibere nequeunt ad usus profanos.

Res sacrae, quae in dominio personae iuridicae publicae ecclesiasticae sunt, praescribi tantum possunt ab alia persona iuridica ecclesiastica publica.

Res immobiles, mobiles pretiosae, jura et actiones sive personales sive reales, quae ad Sedem Apostolicam pertinent, spatio centum annorum praescribuntur; quae ad aliam personam iuridicam publicam ecclesiasticam, spatio triginta annorum.

Episcopi, pro suae dioecesis facultatibus, conferant ad media procuranda, quibus Sedes Apostolica indiget.

In regionibus ubi adhuc «beneficia» existunt, Conferentiae episcoporum est regimen moderari, ita ut redditus beneficiorum ad Institutum speciale pro sustentatione clericorum paulatim deferatur.

ANNOTATIO: Duo disciplinae manifestae sunt: illa quae spectat ad beneficia primitiva, in toto emendata; altera quae ad oblationum perceptionem spectat ex parte fidelium atque Episcoporum.

### *De administratione bonorum (1273-1289)*

Administratio est complexus omnium illorum actuum, qui ad conservationem et meliorationem substantiae bonorum acquiritorum, necnon ad perceptionem, conservationem, meliorationem et applicationem fructuum eorum referuntur (Sipos, *Ench. jur. can.*, pag. 693).

Supremus administrator et dispensator omnium bonorum ecclesiasticorum est Romanus Pontifex, vi primatus iurisdictionis.

In singulis dioecesibus habeatur speciale institutum quod bona vel oblationes colligat, ut sustentationi dioecesis clericorum provideatur, nisi aliter eisdem provisum sit.

Conferentia episcoporum, ubi providentia socialis nondum apte ordinata est, curet ut habeatur institutum securitatis socialis.

Episcopi in singulis dioecesibus constituent massam communem, destinatum obligationibus erga Ecclesiae deservientes et variis dioecesis necessitatibus, necnon auxilio erga dioecesis indigentes.

Ad adimplendos fines supra scriptos constitui possunt instituta foederata vel consociata pro variis dioecesibus.

Ordinarii officium habent advigilare administrationi omnium bonorum quae ad personas iuridicas publicas sibi subiectas pertinent, curare ordinandum universum negotium administrationis ipsorum bonorum.

Quod attinet ad actus administrationis ponendos, Episcopus dioecesanus Consilium a rebus oeconomicis et consultorum Collegium audire debet ad liceitatem. Eorumdem collegiorum tamen consensus ad validitatem eget ad ponendos actus extraordinariae administrationis, praeterquam in casibus iure universalis vel tabulis foundationis expressis.

Conferentiae episcoporum est definire actus extraordinariae administrationis.

Oecono dioecetano, praeter munera de quibus in canone 494, committi possunt munera vigilandi et administrandi bona quae personae iuridicae publicae pertinent.

Administratores bonorum ecclesiasticorum ad singulas personas iuridicas pertinentium designantur iure vel tabulis foundationis.

Adiuvant personarum iuridicarum administratores Consilium a rebus oeconomicis vel saltem duo consiliarii.

In munere exercendo secundum normas a statutis definitas, administratores diligentiam boni patrisfamilias debent tenere, periculum in se recipiunt de modis administrationis sine personam iuridicam ducere, munera tenentur implere ad normam canonum 1283 et 1284.

Debent administratores autem praescripta servare tum juris canonici tum juris civilis, singulis annis rationem administrationis reddere, licentiam ab Ordinario obtinere quoad lites et actus extraordinariae administrationis.

ANNOTATIO: Ratione administrationis non paucae sunt renovationes. Praecipue notantur: constitutio institutorum pro clericis et personis Ecclesiae deservientibus, etiam consociationem pro variis dioecesis; administratio collegialis omnium personarum iuridicarum.

### *De contractibus ac praesertim de alienatione (1290-1298)*

Quae jus civile in territorio statuit de contractibus tam in genere quam in specie et eorum solutionibus, eadem jure canonico in materia ecclesiastica iisdem cum effectibus servantur. Non licet autem jus civile servare si juri divino contrarium sit aut si aliud jure canonico caveatur.

Si agatur de alienatione bonorum, quae personae iuridicae publicae pertinent, valent sequentes regulae ut alienatio legitime fiat ad validitatem:

– licentia Auctoritatis competentis requiritur, si valor bonorum, quorum alienatio proponitur, summa jure definita excedit;

– cum valor continetur intra summam minimam et summam maximam ab episcoporum Conferentia definiendas pro sua cuiusque regione, Auctoritas competens licentiae propriis statutis determinat, si agatur de personis iuridicis Episcopo non subiectis; secus Episcopus dioecesanus competens est, si de personis iuridicis subiectis loci Ordinario;

– si agatur de rebus quarum valor summam maximam excedit vel de rebus pretiosis artis vel historiae causa, requiritur insuper Sanctae Sedis licentia.

Insuper requiritur: aestimatio rei a probis peritis scripto data; iusta causa, scilicet urgens necessitas vel evidens utilitas; exacta scientia ex quibus in alienatione partem habent de statu oeconomico personae iuridicae.

Pecunia ex alienatione percepta caute in utilitatem Ecclesiae collocanda est vel eroganda iuxta alienationis fines.

Contra illegitimam seu invalidam alienationem, Auctoritati competenti, omnibus mature perpensis, competit actio personalis vel realis adversus eum qui sine debitis sollemnitatibus bona alienaverit.

Conferentiae episcoporum est normas statuere de bonis Ecclesiae locandis.

Bona ecclesiastica propriis administratoribus eorumve propinquis usque ad quartum consanguinitatis vel affinitatis gradum non sunt vendenda aut locanda sine licentia scripto data competentis Auctoritatis.

### *De piis voluntatibus in genere et de piis foundationibus (1299-1310)*

Pia voluntas est actus inter vivos vel mortis causa cuiuslibet hominis qui apto medio consecratur quempiam finem religionis vel caritatis. Quod, si fecerit per actum mortis causa, habebitur legatum pium; si autem stabili modo bona deputaverit, ampliore sensu habetur pia fundatio.

Voluntates fidelium, qui deputant sua bona operibus religiosis vel christianae pietatis, legitime acceptatae, impleantur diligentissime.

Ordinarius, cum sit exsecutor omnium piarum voluntatum, potest et debet providere ut piae voluntates impleantur; ei reddere rationem tenentur ceteri exsecutores. Omnes clausae huic Ordinarii juri contrariae non appositae habeantur.

Qui bona ad pias causas fiduciarie accepit certiozem Ordinarium reddere debet et ea distincte indicare.

Bona fiduciaria in loco tuto deponantur.

Si commissa alicui sodali Instituti religiosi aut Societatis vitae apostolicae, iura et officia Ordinarii loci exclusive competunt Superiori maiori aut Ordinario proprio in aliis Institutis, dummodo non sint attributa loco seu dioecesi eorumve incolis.

Piae foundationes dividuntur in: autonomae, scilicet universitates rerum ad fines de quibus in canone 114, par. 2, quae in personas

iuridicas erectae sunt; non autonomae, scilicet bona temporalia quoquo modo data alicui personae iuridicae cum onere in diuturnum determinandum tempus celebrandi Missas vel peragendi alias praefinitas functiones ecclesiasticas.

Nisi alia fuerit foundationis voluntas expresse manifestata, bona piaae foundationis non autonomae, commissa personae iuridicae Episcopo dioecesano subiectae, ad Institutum pro sustentatione clericorum destinari debent, expleto tempore.

Piae foundationes acceptari debent a persona iuridica post consensum scripto datum ab Ordinario loci, qui licentiam ne praebeat antequam asseveravit de novo onere suscipiendo.

Pecunia et bona mobilia, dotationis nomine assignata, statim in loco tuto ab eodem Ordinario deponantur et caute utiliterque collocentur, auditis iis quorum interest et proprio Consilio a rebus oeconomicis.

Etiam foundationes viva voce factae scripto consignentur.

De foundationibus instrumentum est conficiendum duobus exemplaribus, quorum alterum in Curiae tabulario asservetur; tabella onerum in loco patenti exponatur et liber ad hoc ipsum institutus retineatur apud parochum vel rectorem, in quo singula onera eorumque adimpletio et eleemosynae adnotentur.

Onerum Missarum, quae pias foundationes gravant, reductio uni Sedi Apostolicae reservatur. Si in tabulis foundationum id expresse caveatur, Ordinarius onera reducere valet ob imminutos redditus.

Ordinario competit autem reducere ob deminutionem redditum onera seu legata Missarum, quamdiu causa perduret, et quae gravantia Institutum ecclesiasticum, si redditus insufficienter evaserint ad finem proprium eiusdem consequendum.

Iisdem potestatibus gaudet supremus Moderator Instituti religiosi.

Onera Missarum transferri possunt in dies, ecclesias vel altaria diversa ab illis statutis congrua de causa et eisdem Auctoritatibus iubentibus.

Reductio aequaliter imminuitur ab Ordinario, auditis Consilio a rebus oeconomicis et iis quorum interest, si exsecutio onerum Missa-

rum impossibilis evasit, nulla administratorum culpa.

Recurrendum est ad Sedem Apostolicam in ceteris casibus.

ANNOTATIO: Notio piae foundationis latius se pandit ad fundationes autonomas.